



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. An, & quàm certus sit actus Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

non causat, nisi per accidens: nec facit, quantum est ex se, ut reputetur infidelis, sed tantum permittit eam opinionem. Ad confir. neg. ant. Ut jam diximus n. 79. non licet gratis absque causa id facere, ex quo moraliter sequitur aliorum deceptio: quod, tum in aliis, tum maxime in hac materia verum est; videtur enim etiam pertinere ad honorem fidei, ut non sine causa aliquis ita se gerat, ut infidelis possit reputari.

Dices. Plures sunt vestes, quæ assumuntur specialiter ab infidelibus, tanquam ipsis propriæ, ut constat experientia: atqui nulla causa potest esse licite istis utendi ad se occultandum: ergo. prob. mi. nulla potest esse causa sufficiens ad assumendum signum infidelitatis: ergo. Confir. Tale signum æquiparatur verbo, quo quis diceret, se esse e. g. Turcam: ergo. Resp. dist. mi. nulla causa potest esse iis utendi, si proprietas illa non sit separabilis in ullis circumstantiis. conc. mi. si sit separabilis. neg. mi. & confir. Diximus jam, vestes habere duplicem institutionem: primariam, seu primævam ex rei natura: & secundariam ex lege humana, atque hanc non esse inseparabilem in omnibus circumstantiis.

Si tamen vestis aliqua esset, ex primæva sua institutione, præcisè intenta ad cultum idololatricum, e. g. corona ex idolis, vel similibus actio, e. g. gestatio idoli in manu, vel fronte, utique licita non foret, ut jam diximus n. 645. ubi etiam egimus de veste, cui idolum appictum &c. ad prob. dist. ant. si illa res, quæ ex institutione secundaria est tale signum, adhibeatur in circumstantiis, in quibus non separatur illa significatio. conc. ant. si ea res adhibeatur in aliis circumstantiis. neg. ant. & confir. Sic aliud utique est, portare vestem religiosam: aliud dicere verbis, se esse religiosum. Nec dicas, usum vestis, propriæ infidelium, esse inseparabilem à significatione infidelitatis; nam, licet hoc dici possit de quibusdam, de quibus modò diximus, e. g. de corona ex idolis composita: at id dici non potest de omnibus vestibus, e. g. de communi tegmine Turcico capitis: sicut nec de veste religiosorum.

DISPUTATIO V.

De Proprietatibus Actus Fidei.

657. **H**Ac disputatione agendum de certitudine actus fidei, itemque de ejusdem, ac habitus fidei supernaturalitate: qua occasione etiam tractabimus de supernaturalitate aliorum actuum, & habituum, tum intellectus, tum voluntatis, ad actum fidei prærequisitorum, ut sic penitus noscatur natura, seu essentia, tum ipsius actus fidei, tum principiorum, ad eum eliciendum necessariorum. Quid certitudo, & quotuplex sit, jam diximus n. 509 unde tantum est opus, ibi dicta huc applicare. Supernaturalitatem, quantum ad has conclusiones rite

firmandas, & explicandas necesse est, sequenti quaestione attingemus. Addemus aliqua de subjecto habitus fidei: cumque de reliquis duobus habitibus Theologicis, seu spe, & charitate, proportionaliter sit discurrendum, etiam de his statim agemus, ne hæc dicta inferius iterum repetere oporteat.

QUÆSTIO I.

De Certitudine Actus Fidei.

ARTICULUS I.

An, & quàm certus sit Actus Fidei Theologicæ.

658. **D**ico. Actus fidei Theologicæ est essentialiter verus, nec potest esse falsus. ita omnes Catholici. Prob. Actus fidei Theologicæ debet intrinsecè niti motivo, seu objecto formali Divino, id est, testimonio DEI, ut probatum n. 38. sed testimonium DEI est essentialiter verum, ut iterum probatum n. 52. & 53. ergo actus fidei Theologicæ debet intrinsecè niti objecto essentialiter vero: consequenter debet etiam ipse esse essentialiter verus, nec potest esse falsus. Confir. 1. Charitas Theologica necessariò debet pro objecto formali habere bonitatem Divinam realiter talem, & non tantum apparenter talem (sicut etiam spes Theologica verum DEUM possidendum) aliàs posset quis amando super omnia falsum DEUM justificari; cum actus verus charitatis Theologicæ justificet, quod est absurdissimum: ergo etiam fides Theologica debet habere pro objecto formali testimonium DEI realiter tale, & non tantum apparenter tale. Confir. 2. Actus spei, & actus charitatis Theologicæ, tendunt in objectum Divinum, ut propositum per actum fidei: ergo, si illi non possunt, tendere in objectum tantum apparenter Divinum, neque fides poterit proponere objectum tantum apparenter Divinum; consequenter neque poterit tali niti.

659. Prob. conclusio 2. Habitus fidei est velut instrumentum Spiritus S., per quod hic juvat intellectum ad assensum: ergo debet esse proportionatus veritati Spiritus S. consequenter non potest influere in actum falsum. Confir. Actus fidei, est supernaturalis, ut probabimus infra n. 680. atqui omnis actus supernaturalis principaliter attribuitur DEO, ut docet Apostolus 1. Corinth. 15. v. 10. dicens: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum*: quod idem docet Tridentinum sess. 6. c. 16. ubi ait de DEO: *Cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: ex quibus habetur, merita nostra (inter quæ etiam est actus fidei) esse supernaturalia dona DEI: ergo etiam attribuitur principaliter DEO actus fidei: sed actus falsus DEO tribui non potest: ergo.

660. Dico 2. Actus fidei est omnino certus

certus. ita rursus omnes Catholici. Prob. Ut diximus *n. 509.* triplex est certitudo, & quælibet comperit actui fidei: ergo est omnino certus. prob. ant. Inprimis actus fidei est certus certitudine objectiva; quia est verus, seu conformis objecto. 2. Etiam est certus certitudine formali; quia est essentialiter verus, seu essentialiter exigens, objectum ita se habere, prout ipse affirmat, ut patet ex probationibus primæ conclusionis. 3. Etiam est certus certitudine adhesionis; quia per actum fidei intellectus adheret firmissimè objecto, ita, ut excludat omne dubium; esset enim utique gravis irreverentia, si de veritate testimonii Divini dubitaremus; unde *C. Dubius 1. de hæreticis.* dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Quando autem aliquando aliqui, etiam pii, putant, se non firmissimè adherere objecto revelato, sed dubitare, saltem indeliberatè, dum credunt, non habent dubium strictè dictum, etiam indeliberatum, siue veram vacillationem intellectus, eo instanti, quo fidem eliciunt, ut diximus. *n. 505.* sed tantum habent aliquos motus phantasie, aut potentie apprehensivæ, quibus quasi apprehendunt, se dubitare.

661. Dico 3. Actus fidei est certior quovis actu naturali, etiam metaphysicè evidente. ita omnes, qui non faciunt quæstionem de voce, & non accipiunt in alio sensu hunc terminum *certitudo*. Loquor autem hic, non de certitudine præcisè objectiva, quæ non videtur esse aliud, quam buasi æqualitas, aut conformitas cum objecto, seu re ipsa veritas formalis actus; nam hæc non videtur capere magis, & minus, sed stare in indivisibili; licet enim unum possit esse magis falsum, quam alterum, non potest, strictè loquendo, unum esse magis verum, quam alterum: sicut, licet una linea possit esse magis curva, vel inæqualis tertiæ, quam altera, non potest tamen, strictè, & mathematicè loquendo, una esse magis recta, quam altera: nec magis æqualis, quam altera. Quare præcindendo à certitudine tantum objectiva, loquimur nunc de certitudine formali, & subjectiva, seu adhesionis.

662. Prob. conclusio. Ille actus est certior certitudine formali, qui nititur firmiore motivo, & magis cum veritate connexo: atqui actus fidei, immediatè nixus Divina veracitate (quæ est magis connexa cum veritate, quam omne lumen naturale creatum, quo nititur actus metaphysicè evidens) nititur firmiore motivo: ergo. ma. videtur patere ex acceptione vocis *certitudo*; hoc enim intelligitur per certitudinem formalem: & actus, qui nititur motivo, magis exigente veritatem, etiam magis eam exigit, quam alius actus, qui nititur tantum motivo minus exigente veritatem. Prob. etiam mi. ad discernendum, quodnam motivum ex duobus, essentialiter certis, sit magis connexum cum veritate, non habemus aliud medium, quam comparare ea per hypothefes impossibiles (nam nec motivum

veracitatis Divinæ, nec evidentie naturalis metaphysicæ, potest in ulla hypothefi possibili à veritate deficere) & videre, quodnam prius à veritate deficeret, si aliquid ex iis deficere deberet: sed utique quodlibet lumen tantum naturale, quantumvis evidens, citius à veritate deficeret, quam veracitas Divina: ergo.

Confir. Etsi impossibile sit, creaturam aliquam impossibilem esse, tamen magis impossibile est, DEUM impossibilem esse (nam necessitas creaturæ non est per statum, sed per alienationem: necessitas autem DEI est per statum: rursus creatura, si ponatur, habet omnia sua, non à se, sed ab alio: DEUS habet omnia sua à se, adeoque magis impossibile est, hunc esse Chimeram, quam creaturam) ergo etiam magis impossibile est, falsum esse actum, qui nititur infallibilitate Divina, quam qui nititur infallibilitate creata: sed actus fidei nititur infallibilitate Divina: actus evidens nititur tantum infallibilitate creata: ergo.

663. Prob. etiam conclusio de certitudine adhesionis. Ille actus est certior certitudine adhesionis, per quem intellectus firmitus adheret objecto: atqui firmitus adheret per actum fidei objectis revelatis, quam per quemlibet actum scientificum objectis demonstratis: ergo. ma. est definitio. mi. prob. iterum recurro ad hypothefes impossibiles; si enim intellectus deberet deferere aliquod objectum, citius deferret objectum scitum, quam creditum: & sic intelligi debet illud Apostoli *ad Galatas 1. v. 8.* *Licet nos, aut Angelus de celo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* quasi diceret: Licet Angelus beatus non possit falsum loqui, tamen, si per impossibile ille aliquid loqueretur, quod non esset conforme revelationi, quam ego vobis tradidi, non ei credatis, sed habeatis eum, tanquam excommunicatum: & si revelationem DEI præferatis etiam dicto Angelico.

664. Ex quo tamen, sicut non sequitur, nos ullatenus dubitare de dicto Angelico (nam, quod tantum in suppositione impossibili fieri deberet, utique non fundat ullum dubium) sic neque sequitur, nos dubitare de veritate actuum naturaliter evidentium: sicut etiam, si pater dicat: si deberem unum filium perdere, mallem perdere Titium, quam Cajum: non sequitur, quod actu velit perdere Titium. Quando autem motivum naturale potest à veritate deficere, tunc, licet ratio naturalis non advertat, id hic, & nunc deficere, si tamen id doceat testimonium Divinum, rationem captivamus in hujus obsequium. Et sic citius negamus assensum visui, & gustui, qui dicerent, in Eucharistia adesse panem, & vinum, quam revelationi DEI dicenti, tantum adesse accidentia: sic ob revelationem contrariam non extendimus ad Personas Divinas illud principium: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* etsi videatur intellectus valde incli-

nari ad existimandum, illud principium etiam ad istas extendi.

665. Hanc adhæsiōem firmissimam fidei ad objecta revelata, super omnem adhæsiōem ad lumen naturale, passim adstruunt, & exigunt SS. Patres. S. Basilii in *psal. 115*. ait: *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens*. S. Chrysostomus homil. 21. in c. 11. ad Hebr. *sub finem explicans illud: Est autem fides... argumentum non apparentium*: ait: *Neque rursus, si de iis, quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quispiam persuasus, quàm de iis, quæ videntur, potest esse fides*. Richardus a S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2. *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certiùs, nihil constantius tenemus, quàm, quod fide apprehendimus*. Huc etiam videtur respexisse S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 19. dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem &c.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

666. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Judæi, qui ante Christi nativitatem crediderunt, eam venturum, potuerunt etiam post ejus nativitatem, quando istam nondum sciverunt, eundem adhuc credere venturum, & nondum præsentem: ergo actus fidei potuit esse falsus. Confir. Actus fidei circa præsentiam Christi in hostia consecrata potest esse falsus; quia potest hostia non fuisse consecrata: ergo. Resp. neg. ant. nam Judæi, etiam ante adventum Christi, credebant eum venturum tempore à prophetis prædicto: nec licebat ipsis aliquod tempus designare, in quod ferretur actus fidei, nisi quod clarè significabatur per revelationem, seu prophetiam; unde quando post Christi nativitatem Judæi affirmarunt, tempus illud nondum transiisse, id faciebant, non ex fide, aut revelatione Divina vera, sed ex conjectura humana falsa.

Si tamen velles urgere, quòd saltem, dum loquebantur prophætæ, poterant Judæi fide Divina credere, tempus præteritum, vel etiam tunc præsens, nondum esse coexistens nativitati Christi. Resp. hoc semper etiam postea verum mansisse: & semper posse adhuc credi; nam semper verum est, & erit, eo tempore, quo prophetabat, e. g. Isaias, Christum nondum natum fuisse: si autem, vel per possibile, vel impossibile, redderetur aliquod objectum materiale fidei non ampliùs existens, actus fidei, non posset, illud deinceps affirmare existens pro alio tempore, ut sufficienter probant nostræ rationes. Ad confirm. neg. suppositum ant. Non potest elici, ordinariè scilicet, actus fidei de præsentia Christi in particulari hostia: si autem eliceretur, non posset ea hostia non esse consecrata. vide n. 508.

667. Ob. 2. Virtutes morales possunt

amplecti honestatem tantum apparentem: ergo etiam actus fidei potest affirmare verum tantum apparens, adeoque esse falsus. ant. prob. virtuosè quis largitur eleemosynam ficto pauperi: ergo. Confir. Prudentia, quæ est virtus intellectualis, potest dictare, tali ficto pauperi dandam esse eleemosynam: ergo etiam virtutes intellectuales possunt tendere in falsum, adeoque etiam fides. Resp. 1. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conf. Aliud est fictus pauper, aliud est ficta honestas; licet enim in tali casu paupertas sit ficta, honestas tamen est vera; nam revera honestum est, dare eleemosynam illi, qui apparet esse pauper; si enim homines deberent semper esse revera certi de paupertate aliorum, sæpissimè retraherentur ab eleemosyna danda.

Aliud est, quòd fortè aliquando motivum formale quo talis virtutis possit esse tantum apparens, e. g. respectu misericordiæ paupertas ficta: vel respectu justitiæ debitum tantum apparens, quod tamen movet ad solutionem. At, cum hoc virtus non amplectatur, sed tantum præsupponat, nihil inde sequitur absurdi. Sunt tamen Theologi, qui dicunt, objectum etiam formale quo virtutum moralium, esse semper bonum verum, & non tantum apparens: quanquam istud, hic & nunc, e. g. in casu ficti pauperis, non per actum directum, sed quasi per reflexum, attingatur, ita, ut dans eleemosynam pauperi ficto, moveatur à vera paupertate, & solvens debitum creditori, tantum apparenter tali, moveatur à vero jure: qua de re videatur Gormaz de virt. Theol. n. 815. Mihi non videtur, opus esse isto responso; puto enim, esse verissimam honestatem in eo actu, quo quis vult dare, aut dat eleemosynam pauperi; ficto quidem, sed prudenter judicato tali: & idem dico de solutione debiti, facta creditori tantum apparenter tali: qua ratione saltem objectum formale quod virtutum moralium est semper bonum verum, quod sufficit, quidquid sit de objecto formali quo.

668. Resp. 2. om. ant. neg. conf. nam, etiamsi virtus moralis amplecteretur honestatem tantum apparentem, non ideo posset fides amplecti revelationem tantum apparentem; nam, licet non desint Theologi, qui dicant, objectum virtutum moralium non necessariò esse bonum in se, sed tantum bonum prudenter tale existimatum: non tamen potest inde inferri, quòd etiam virtutum intellectualium, inter quas est fides, objectum, sit tantum verum prudenter existimatum; alias enim virtutes intellectuales non differrent ab habitibus opinativis; unde objectum virtutum intellectualium est verum reipsa tale: & vel Logici jam cum Aristotele dicunt, virtutem intellectualem esse eam, per quam anima semper verum dicit.

Resp. 3. iterum om. ant. neg. conf. nam, etsi honestas illa creata, quam virtutes morales habent pro objecto formali quod, esset tantum apparens, & reipsa falsa,